



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et  
Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ -  
Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ  
collectus: & usui accommodatus

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066332**

Exerc. 7. Quod Deus plus amet solam Mariam, quàm totam Ecclesiam,  
rerumque Universitatem, seclusâ Maria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45396**

magnificentiam. Desidero, simulque à Te, & à Deo per Te, submississime, reverentissime, & anhelosissime peto: ut me quam perfectissimâ Tui, & per Te Dei, adimpleas cognitione, dilectione, estimatione, exaltatione, imitatione, fruitione. Da mihi: ut ad instar Tui, ego etiam (cum omnibus his quos ego in te, quos tu in me, qui me ratione tui, qui Te ratione mei, singulariter appetiunt gaudent, aut unquam gaudebunt) semper, ubique, toto me; fiam tua, fiam Dei, magnificentio atque magnificentia. Magnificem te, & Deum, magnificatione omnium Creaturarum. Magnificem te, & Deum, Filium tuum magnificatione quâ te Deus Filius ut Matrem, & quâ tu Deum Filium tuum, ut Mater magnificas. Magnificem te, & Deum, magnificatione quâ te Sanctissima Trinitas unus Deus magnificat: & qua tu vicissim Sanctissimam Trinitatem, unum Deum, magnificas, ut semper tuo spiritu, tibi, & tecum cantem; Magnificat Anima mea Dominum.

## EXERCITIUM VII.

Quòd Deus plus amet solam Mariam, quam totam Ecclesiam, rerumque universitatem, seclusâ MARIA.

1. Statue te coram pretiosissimâ Parente MARIA.

2. Expende: plus à Deo solam, unamque Mariam diligi, quàm totam vel Ecclesiam, vel etiam creaturam, seclusâ ex ejus numero ipsâ Virgine Matre Maria.

1. Quia majori eam donavit, ornavitque gratiæ sanctificantis abundantiam, quam omnes simul collectos Angelos, atque homines. Creaturæ

turæ expertes rationis hic locum non habent, ob incapacitatem suam.

2. Quia eidem Virgini Mariæ præstantius, singularius, plenius sese communicavit Deus, quam omnibus simul sumptis creaturis. Etenim ei communicavit præter dona gratiæ, etiam substantiam, entitatem, Personamque suam divinam: & quidem in Filiationem, seu in Filium: faciens se concipi in ejus utero, ex ejus selecto sanguine, habitans intra ejus intemerata viscera novem mensibus, omnibusque ejus maternis obsequiis, tam ante Nativitatem, quam post eandem, fatus, nutritus, lactatus, educatus. Ex quo, Maria, insigne & nulli creaturæ communicabile Nomen hereditavit. Cui enim Angelorum, aut Hominum dicit Deus, Mater mea es Tu: aut quæ creatura dicit Deo: Filius meus es Tu. Ego genui Te.

3. Quia ejusdem Mariæ Virginis redemptio primum, & primariè, præcipuèque, ac plus, magisque, disposita, ac intenta à Deo fuit, quam omnium reliquorum simul sumptorum hominum. Estque Maria principalis, & major fructus Redemptionis Christi, quam totum genus humanum: ac, si alterutrius tantum Redemptio Christo fuisset proposita curanda; vel scilicet solus Mariæ sine cæteris hominibus, vel cæterorum hominum tantum absque Maria; prælegisset Christus solam Mariam redimere: cæteros autem homines negligere. Propter quod Maria, est princeps redemptionis, & redemptorum à Christo, tanquam à Filio; & eadem plus ex Christi Filii sui meritis, gratiæ, donorumque hausit, quam reliqui omnes simul homines, ac etiam Ange-

G:  
ope  
Tu  
N  
3

Angeli. Imò verò Maria est, per quam Redem-  
ptionis fructus in cæteros homines dispensatur,  
atque distribuitur. Quod quidem majoris erga  
Mariam solam amoris est signum.

4. Quia scilicet, quidquid Deus toti Ecclesiæ  
suz dare disposuit, totum id in Mariam plenariè  
deposuit: atque contulit: ut totius, omnisque  
boni plenitudo, & quidquid spei, quidquid gra-  
tiæ, quidquid salutis, quidquid beatitudinis est in  
Ecclesiâ totâ, ejusque filiis universis, totum id  
redundet, defluatque à Maria, & per Mariam.

5. Ob quod etiam Deus, plus cupit, & amat,  
ab Ecclesia universa amari, coli, invocari, unam,  
solamque Mariam, quàm reliquos omnes Ange-  
los, Hominesque sanctos, gratiosiusque, & effi-  
caciùs ad se per illam recurri, quàm per omnes  
reliquos & Angelos, & Homines. Sicut idem  
Deus universas aquas collegit in mare, indeque  
aquæ per universam terram dispertiuntur, & o-  
mni humore necessario, abundantius recrean-  
tur, ac sæcundantur, rursusque ad mare refleunt:  
juxta illud Scripturæ; *omnia flumina ex mari ex-  
eunt, & in mare redeunt, & mare non redundat:*  
quod symbolico sensu, verissimè de Maria Dei  
Matre dicitur.

*Eccl. 1. 7.*

6. Quia cùm Dominus noster Redemptor,  
giganteis suis passibus decurreret, expansisque  
Charitatis suæ velis, per Oceanum suæ Passionis,  
ad consummandum cursum, ineundumque por-  
tum nostræ per mortem in cruce redemptionis,  
jamjam inveheretur; tumque & inimicos, ac  
blasphemos excusaret; & latronem de cruce ad  
Paradysum, primitias fructuum Patri suo ablega-  
ret: & consummato calice Passionis, extremam

X 5

etiam

Handwritten notes on the right edge of the page, including the word "DUPLEX" and other illegible scribbles.

330 Ex. VII. Quòd Deus plus amet solam Mariam, etiam mortis facem ebibiturus esset; stitit tamen rapidissimum illum omnem Charitatis suæ in Redemptionem, & reconciliationem humani generis cum Deo, cursum: eumque tantisper interrupit, atque agere intermisit: ideo solum, ut Mariæ Matri ultimum filialis pietatis suæ officium persolveret: ejusque curam Joanni discipulo traderet: atque suum filialem affectum, in ipsum, gratiâ Mariæ transfunderet, dicens: Ecce

Jo. 19. 26. *Mater tua: & Matri: Ecce filius tuus.* In quo suo opere majus fecit miraculum Dominus, majoremque violentiam suæ Redemptoriæ, salutemque nostram operari Charitati acceleranti, intulit: quàm est illata vis cælorum cursui, tunc Josue 10. 12. quando sol contra Gabaa, & Luna, contra Ajalon decurrere, prohibiti sunt; aut quando decem 4. Reg. 20. 9. lineis, seu gradibus, jam decursis, retrogressi idem sol jussus est.

7. Quia in nullâ Creaturâ, neque etiam Universâ simul, tantum (ut sic dicam) Majestatis suæ condignitatis, tantum Cordi suo delectationis, tantum Amori suo redamationis, tantum divitiis suis Opulentia immensæ augmenti, tantum Operibus suis requiei, tantum thesauris suis securitatis, reperit, obtinuitque Deus; quantum in unâ solâque Virgine Matre suâ Mariâ. Rectissimè & justissimè dicebat Maria, habens jam intra viscera sua Sapientiam Æternam Incarnatam: Sap. 7. 11. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ.* Itemque illud meritissimè, beatificanti se Elisabetha reposuit: *Magnificat Anima mea Dominum; quia fecit mihi Magna, qui Potens est, &c.* Verùm etiam Verbum Incarnatum suo pariter modo dicere potuit, posteaquam à Virgine Verbum Caro factum

Sap. 7. 11.

Luc. 1. 46.

G:  
ope  
TO  
N  
S

factum est; Venerunt mihi omnia bona pariter cum Matre Virgine: & Magnificat Anima mea Matrem meam, quia fecit mihi magna: ex quo à Spiritu superventa; & Virtute Altissimi obumbrata est. Ex Mariâ enim Virgine, accepit Carnem suam, totamque Humanitatem, atque adeo etiam Unionem Hypostaticam: quia etsi totus non est de Virgine, sicut neque totus est de Deo; Totus tamen sicut Dei, ita & Virginis est Christus. Accepit ergo ex Mariâ se Deum Hominem, se Filium Dei, se Filium Hominis: accepit ex eâ, & ab eâ purissimam, & (ut quidam Sanctorum audet) Verbi spirantem particulam: accepit de Homine Humanitatem, de Virgine Virginitatem, de Matre sine Patre, filiationem: Prodiit de Munda Mundus, de Immaculatâ immaculatus, de Regia stirpe accepit Regium genus, de genere Sacerdotali, stirpem Sacerdotalem Aaronicam; de Humillimâ natus est humillimus, de Pauperrimâ Pauperculus, de Obediente obedientissimus, de Ancillâ servus, de gratiâ plenâ, gratiâ plenus, imò Gratia plenitudo, de Victrice Victor, de Gloriosâ triumphatrice triumphator gloriosus, & omnis Gloria Rex. Denique de Terribili sicut Castrorum acies Ordinata, fortissimus armatus David prodiit: *tanquam tenerimus ligni vermiculus, qui infinitos prostravit, interfecitque impetu uno.* Ergo meritò DEUS unam solamque Mariam, in amore suo, præfert toti Ecclesiæ separata à Maria: omnibusque Creaturis, simul licet acceptis, à Maria autem sejunctis.

8. Porrò Deus, Mariæ Filius, triplici Amore amat Mariam Matrem suam. Excepto enim amore

2. Reg. 23.

332 Ex. VII. Quòd Deus plus amet solam Mariam,  
amore illo universali, quo Deus diligit omnia  
opera suarum manuum, tanquam suæ bonitatis  
effecta, tanquam perfectionis suæ imagines, &  
imitationes, quo etiam Amore diligit Deus, Ma-  
riæ Filius eandem: præter hoc diligit eam;

I. Amore naturali, tanquam Filius Matrem,  
dilexit & diligit eam: cujus non solum Consan-  
guineus, sed etiam ipse Sanguis est: habetque  
fundamentum amandi, naturalem Originem  
substantialem: quod fundamentum immobi-  
le, & immutabile cum sit; inducit etiam amo-  
rem, atque amicitiam ejusmodi: & præsertim  
in Christo erga Matrem: (sicuti etiam in Matre  
erga Christum: quia Christus solius duntaxat  
Mariæ filius fuit, sine Patre temporali, unde ne-  
cesse non habuit partiri amorem suum Filialem,  
sed totum soli Matri impendit: sicut & solam  
illa, Originem sui esse Theandrici habuit. Ac-  
cessit ad hunc amorem Filii erga Matrem concu-  
liandum, fovendum, augendumque admirabilis,  
& planè ineffabilis similitudo Matris illius cum  
Filio, Filiique vicissim cum Matre: in corporis  
morumque compositione, suavitate, gratiositate,  
pulchritudine, decoro, & cælesti quadam specie,  
acelegantiâ: sicut de Filio isto Mariæ dixit Da-  
vid verissime; *Speciosus formâ præ filiis homi-  
num, diffusa est gratia in labiis tuis*; ita idipsum  
de hac Beatissima Matre, plenissima veritate dici  
meritò potuit: utpote, cujus ad instar Filius for-  
matus fuerat, ejusque Speciositatem in se tran-  
stulerat. Addi etiam potest, imò debet: quòd  
inter hunc Filium atque ejus Matrem, fuit lem-  
per suavissimus convictus, affectuosissima mu-  
tuorum obsequiorum, & officiorum communi-  
catio,

Pf. 244.3.

SIGILLUM

catio, atque concertatio: quæ mirifice Amorem filii excitans, Matrem super omnes Creaturas amare faciebat. Neque faciebat solum, sed etiam facit, facietque in æternum. Siquidem eadem amandi causæ permansuræ sunt in æternum.

2. Amavit Christus Deus Matrem suam amore item Naturali acquisito, qui ad naturalem illum innatum accessit. Nam sic Dominus noster inter nos vivens, amavit (prout Evangelio teste scimus) hoc acquisito amore, Joannem, Magdalenam, Martham, Lazarum, Adolescentem illum quem ad sui sequelam invitavit; amavit discipulos suos; quomodo non infinities impensius Amore flagravit erga suam Matrem, cujus (ut alia fomenta, jam superius memorata præteream) à prima sui Conceptione, usque ad Vitæ finem quidem, sed per annos triginta integros convictu, cohabitatione, comitatu, obsequiisque quotidianis, imò perpetuis usus est: Et cujus superamabili conversatione, conspectuque omnem molestiam (quam ex aliorum hominum, omnium sanè, qui tunc vivebant, at maximè ex Vicinorum, populorumque suorum, rudi, moroso, exoso, indignitatumque, ac ingratitudinum pleno, convictu, conspectu, cæteroque commercio hauriebat, eaque mirum in modum, sanctissimus illius Animus cruciabatur) abstergebat, & alleviabat.

3. Amavit Dominus JEsus, Deus Homo Matrem suam Amore supernaturali, eoque ita elevato, ita ardenti, ita appretiativo; ita summo, & pleno, ut non solum omnium Creaturarum amorem in eo evinceret, sed solo suo amore, quo Patrem

Drux  
Sicki  
r: 480  
II  
V  
7

334 Ex. VII. Quòd Deus plus amet solam Mariam,  
Patrem æternum, & quo semetipsum Hominem  
Deum amabat, minorem eum haberet. De cæ-  
tero, nulla Creatura mens amoris illius, Filii Dei in  
Matrem vehementiam, eminentiamque capere,  
nulla æstimare, nulla cogitare idonea est. Sed  
solus illum Dei Filius habere erga Matrem po-  
tuit, sola illum Mater Dei Maria, à Filio erga se  
habere digna fuit, & est, eritque per omnes æter-  
nitates. Ob quod meritò illi Pater suus David  
congratulans in spiritu occinuit; Diligit Domi-  
nus Portas Sion, super omnia Tabernacula Ja-  
cob. Cujus illa ipsa satis conscia, atque ideo  
cum Gratiarum actione, gratulabunda, adgau-  
densque, sibi etiam occinuit; *Ecce enim ex hoc bea-  
tam me dicent omnes generationes.*

4. Verè igitur, & indubitatè Deus plus amat  
unam, solamque Mariam Matrem suam, quam  
aut totam Ecclesiam, aut quàm omnem penitus  
Creaturam collectim, sed à sola Maria seorsim  
sumptam.

5. Ob quod meritò etiam, omnis tam Ange-  
lorum, quàm Hominum Ecclesia, eandem Ma-  
riam Dei Matrem plus amat, plus veneratur, plus  
exaltat, quàm ullam aliam rem, aut quam sese  
totam: per amorem & venerationem, & exal-  
tationem, unius solius Dei amore, veneratione,  
exaltationeque inferiorem, ac minorem, utpote  
quæ sit solo minor Deo, ac uni secunda Deo.

6. Ob hoc etiam, eadem universa Dei Eccle-  
sia, eandem Dei sui Matrem, tanto amore, &  
cultu, ac laude dignam putat, ut se ejus amoris,  
& cultui, & laudi, omnino imparem judicet.  
Ob hoc enim illam ita & alloquitur, & preca-  
tur; *dignare me, laudare* (amare, venerari.)

G:  
ope  
TO  
N  
3

q  
Virgo s  
que tes  
supra t  
tionem  
omni lu  
esse po  
tionem  
Dei Ma  
tudinis  
que Ec  
mat co  
Matris  
dilecta  
7.  
quoda  
partici  
gnitati  
ut ad e  
nes, tan  
quam  
omnis  
sibilita  
quòd  
dari, o  
Virgo  
gnitate  
nem C  
coli,  
dignat  
que ac  
princi  
trem q  
ad huc  
dicent  
est eni

*Virgo sacrata.* Quo precandi modo, hoc utique testatur universa Dei Ecclesia, tantam esse, supra totam se Matris Dei elevationem, exaltationemque Dignitatis, atque laudabilitatis; ut omni sua capacitate, & contentione, nec sit, nec esse possit condigna ad ejus adæquatam exaltationem, atque laudationem: sed debeat ipsa Dei Mater condescendere in hoc, suæque Celsitudinis verticem dignanter inclinare, licentiamque Ecclesiæ aliquatenus indulgere, quâ præsumat conari aliquid in laudem Virginis Sacratæ, Matrisque Dei electæ, & Deo super superque dilectæ.

7. O verè stupendam Mariæ sublimitatem, & quodammodo de Divinæ sublimitatis eminentia participem. Sicut enim Dei nostri tanta est Dignitatis, Majestatis, Magnitudinisque eminentia, ut ad ejus laudes, & amores, ac superexaltationes, tam impar sit, quam obligata: tam indigna, quam obstricta: tam inidonea quàm debitor; omnis Creatura, quantumcunque sublimetur possibilitas: sed sit Divinæ Dignationis miraculum, quòd se à suis Creaturis cognosci, amari, laudari, obsequiisque coli sinat: Ita & Mater Dei & Virgo sacrata Maria, sic est in sua Maternali Dignitate super omnem Ecclesiam, superque omnem Creaturarum universitatem, ut eam amari, coli, laudarique, deputandum sit ipsius Mariæ dignationi, atque beneficæ indulgentiæ: possitque accommodari Mariæ illud, quod de Deo principaliter dictum est; *Glorificantes Dei Matrem quantumcunque potueritis, supervalebit enim adhuc: Et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes, exaltate illam, quantum potestis. Major est enim omni laude.* *Eccl. 42. 33.*  
Sive

Sive ergo amare, sive colere, sive laudare, sive invocare, sive concupiscere, sive appetere, sive imitari, sive prædicare voles Mariam, quisquis voles: agnosce, & reputa illam sublimiorem omnibus, ad amandum, colendum, laudandum, &c. conatibus, propositis, debitisque tuis: ac ideo illam quocumque obsequio prosequuturus, tuo, totiusque Ecclesiæ, quin & universæ creaturæ nomine, devotus, & humiliatus præmitte; Dignare me, laudare te, Mater Dei, & Virgo, super omnes Deo dilecta, super omnes Deo sacrata, super omnes Deo digna.

## P R A X I S.

**P**retiosissima, atque super omnes creaturas dilecta Deo, Dei Mater, ac Virgo Sacrata **MARIA**: agnosco, & confiteor, me, omnemque Dei Ecclesiam, quin & creaturam Dei universam, non tantum impariorem, sed etiam indignam amare, laudare, honorare te: propterea & meo, & totius Ecclesiæ, & universæ Creaturæ Nomine, & debito, & affectu, & spiritu, conatuque devotissimo, supplex clamor ad te; Dignare me, laudare te, exaltare te, honorificare te, omnibus, tibi licet imparibus, debitis tamen atque placitis obsequiis demereri Te: laudibusque, & obsequiis tuis impendi: atque immori, propter Te, propterque Filium tuum, Deum meum, omnium nostrum, ô Virgo sacrata, ô Virgo Mater electa, ô Virgo & Mater Dei, Amen.

EXER.